DISQUISITIO HISTORICA

DE

CRIMINE MAJESTATIS

APUD

ROMANOS

INDE A PRIMIS TEMPORIBUS

USQUE AD

LEGEM JULIAM MAJESTATIS.

QUAM

CONSENTIENTE

ILLUSTRI JURECONSULTORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA

HALENSI ET VITEBERGENSI CONSOCIATA

PRO SUMMIS

IN UTROQUE JURE HONORIBUS

OBTINENDIS

PUBLICO EXAMINI

SUBMITTIT

CAROLUS FRIDERICUS DIECK.

HALAE,

FORMIS J. C. HENDELII PATRIS ET FILII.

MDCCCXXI.

VIRO ILLUSTRI

ERN. FRIDER. PFOTENHAUER

JURIS UTRIUSQUE DOCTORI

PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO

REGI SAXONIAE AB AULICIS IN JUDICIO CONSILIIS

AC FACULTATIS JURIDICAE ASSESSORI

H. T. DECANO

PRAECEPTORI

FAUTORI

ATQUE

PROMOTORI SUMME VENERANDO

HUNC

LIBELLUM ACADEMICUM

PIO ET SINCERO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR

Nihil sane est, cui pius quisque majorem navet operam, quam ut oblata occasione gratias, easque quam maximas, eis et agat et referat, qui ut literas nos doceant, a supremo numine nobis sunt dati.

Studia enim, ait Cicero, adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

Qua propter omnibus illis Venerandis et Spectatissimis Viris publice nunc ago gratias, qui, dum in gymnasio adhuc versabar, ad studia, quae humaniora dicuntur, pronum meum animum reddidere, viamque mihi patefecere ad altioris investigationis praecepta pro parte virili capessenda.

Cum vero academiam adirem, Tantae Doctrinae Viri mihi fuere praeceptores, ut si quodammodo similis eorum evadere mihi

contingeret, sat satis haberem. O! utinam, Praeceptores Amatissimi, cum nunc consuetudine Vestra fruar, amicissimo illo animo, quem hucusque mihi praebuistis, dignum semper exhibere me possem! —

Prae omnibus vero TE, *cujus nomen huic specimini inscribere ausus sum, cum antesignanus et vere amicus mihi exstiteris, grata et pia mente ad cineres usque colam. Tu enim, Vir Illustris, ut academici praeceptoris officium subirem saepenumero me adhortabare, atque spem jucundissam alebas, omnia quot quantaque sint impedimenta, forti animo et diligentia me esse superaturum.*

Accipe igitur serena, ut assoles, fronte primos hosce qualescumque labores, benignumque illum mihi animum in aeternum conserva. Vale! —

CAPUT PRIMUM.

HISTORIA CRIMINIS MAJESTATIS INDE A PRIMIS TEMPORIBUS USQUE AD XII TABULARUM LEGEM.

§. 1.

In animo nobis est, de legibus majestatis disserere, quae apud Romanos obtinuerunt; antequam vero ad hancce materiem ex professo pertractandam perveniamus, haud abs re esse videtur, de majestate, majestatisque origine nonnulla praemittere. Tametsi Gundlingius [1]) *inanem putet laborem, de origine vocabuli: majestatis quaedam proferre;* nihilominus tamen operae pretium esse duximus, perscrutari, quibus circiter temporibus originem traxisse eam probabile sit.

§. 2.

Ad verbi majestatis etymologiam respicientem te non praeteribit, ipsam hancce vocem non-esse radicem grammaticalem; sed, quod non tantum nostrorum temporum scriptores, verum etiam veteres nos docuerunt, deductam

---

1) Singularia ad leg. Jul. majest. cap. 1. §. 1.

ab alio vocabulo. Hinc Festus [2]) *majestas*, inquit, *a magnitudine dicta*, Macrobio [3]) eidem adstipulante; hinc van Deventer [4]) *uti a vetus*, ait, *vetustas*, *a venus venustas*, *a pauper paupertas*, *ita a majus majestas*, et Conringius [5]) *ut a verbo tempus tempestas*, *ita a verbo majus majestas* proficiscitur. Quibuscum consentit Cicero, definiens majestatem *tanquam magnitudinem quandam populi Romani*, unde bene imminuta majestas dicta est, quasi minor facta [6]).

§. 3.

Sunt, qui primis jam rei Romanae temporibus exstitisse majestatem autument, ita ut ad Romuli usque tempora progrediantur, ut verbi gratia Carolus Sigonius [7]) *omnium criminum antiquissimum atque gravissimum imminutam fuisse majestatem*, *ac de majestate primum Romulum tulisse legem* sibi habeat persuasum, aeque ac Vincentius Gravina [8]) crimen perduellionis atque majestatis pro uno habens crimine, *utrumque ab ipsis urbis primordiis initium duxisse* contendat,

2) Sub voce: majestas.

3) Saturnal. I. cap. 12. edit. Bipont. pag. 258.

4) Diss. ad leg. Jul. majestatis. 1705. cap. 1. princ.

5) Diss. de majestate civili. §. 1. in operibus tom. IV. pag. 580.

6) Orator. partit. cap. 30. Autor ad Herennium lib. II. cap. 12.

7) De judiciis lib. II. cap. 29. De jure antiquo civium Romanorum lib. II. cap. 18.

8) De origine juris civilis. Venetiis 1730. lib. III. §. 85.

ut, consentientibus Heineccio [9]) et aliis [10]) van Deventer [11]) *antiquissimis*, inquiat, *rei Romanae temporibus reges majestate gaudebant, sed non plena, nam sine populi in comitiis jussu legem ferre nequibant; habuerunt tamen jus belli indicendi, et similes majestatis affectus.* Quod autem ad nos pertinet, quin in contrariam partem abeamus neququam dubitamus, prae nobis ferendo, recentioribus rei Romanae temporibus majestatem, majestatisque crimen esse adscribendum [12]).

§. 4.

Dionysius Halicarnassensis [13]) legis cujusdam meminit a Romulo latae (*νόμος προδοσίας*), cui quidem legi tam Sigonius, quam Heineccius, caeterique in demonstranda sententia, Romuli jamjam temporibus fuisse majestatem majestatisque crimen, inhaerent. Sed

9) Antiquitates Romanae lib. IV. tit. 18 §. 47.

10) Van der Ghiessen, diss. ad leg. Jul. majest. 1716. cap. 2. init. — Schott, das Majestätsverbrechen §. 25. not. b.

11) Diss. citata cap. 1.

12) Bosse, über Hochverrath, beleidigte Majestät und verletzte Ehrfurcht. Gött. 1802. 8vo. p. 52. — Grünebusch, Diss. de crimine perduellionis atque majestatis apud priscos Romanos, et de eo, quod inter utrumque jam liberae reipublicae tempore fuit discrimine. Cellis 1802. 4to. §. 14. — Winter, das Majestätsverbrechen. Berlin 1816. pag. 30. pag. 34. not. 2.

13) Historiar. lib. II. cap. 10.

magna me Hercule est quaestio, num laudata lex Romuli unquam lata sit, cum, quod jam Livius [14]) fatetur, quamvis illis temporibus multo propior, quam nos, fuerit, antiqua illa tempora tam sint in obscuro, ut propter fabulas undique commixtas nulla fere eorum sit historica fides. Unde factum est, ut jureconsulti, si quaestionem moveas, quid comprehensum sit lege ista Romulea, in varias abeant partes, tantopere inter se discrepantes, ut sint, qui eandem ad perduellionem seu proditionem spectasse, prorsus negent [15]). Utcumque autem res sese habeat, nullo tamen modo exinde, quod proditio commemorata est, valet consequentia ad crimen majestatis. Enimvero bene scio, reperiri jureconsultos, qui perduellionem majestatisque crimen eundem nimirum sensum involvere censeant, verbi gratia Franciscus Balduinus [16]), qui quidem *varia laedendi majestatem esse genera* arbitratur, *quemadmodum plures capitis deminutiones; et maximam majestatis deminutionem esse perduellionem, tanquam crimen majestatis dissolutae et eversae.* Quocum conspirans Sigonius [17]) majestatis esse crimen scripsit, *cum ea tollantur, in quibus*

14) Historiar. praefatione et lib. VI. cap. 1.

15) Bachii historia juris lib. I. cap. 1. sectio 2. §. 2. not. f. — Conf. Acta literaria societatis Rheno-Trajectinae tom. I. pag. 119.

16) Commentarius ad leges majestatis seu perduellionis, in Heineccii jurisprudentia Romana et Attica. tom. I. pag. 995.

17) De antiquo jure civium Rom. lib. II. cap. 18. pag. 385 et 386. edit. Halens. 1716.

vel regis, vel magistratus, vel populi amplitudo versatur; quia vero multis modis eorum majestas laedi possit, id, quo gravissime violetur, proprio nomine perduellionis vocari. Licet Gravinam [18]) eidem adscriptum sententiae invenerim, propius ad veritatem accessisse mihi visus est, cum non proditionem contineri crimine majestatis, sed vice versa priscis illis temporibus majestatis crimen perduellione comprehensum fuisse arbitretur. Tali enim ratione in eo saltem Gravina, quocum consentit van der Ramhorst [19]), meae sententiae adstipulari videtur, quod proditio seu perduellio antecesserit crimen majestatis; nam rei communis proditionem antiquissimum sane esse crimen quis est, qui neget? Quod magis adhuc firmatur, si oculos converteris ad juris Germanici historiam, quae primis jam temporibus proditionem reperiri sat satis testatur [20]), etiamsi crimen majestatis sequentibus demum temporibus sit vindicandum [21]).

§. 5.

Homerus reges διοτρεφεῖς nuncupat et δῖος [22]), quasi ab ipso Jove educatos, et praecipue amatos; et nihil profecto magis conveniens est puerili illorum temporum animo,

18) Loc. cit. pag. 314. 315.

19) Diss. ad leg. 5. C. ad legem Jul. majest. 1712. cap. 2.

20) Taciti Germania cap. 12. Annales lib. II. cap. 88.

21) Lex Ripuariorum tit. 69. cap. 1. — Eichhorns deutsche Staats- und Rechtsgeschichte, tom. 1. §. 90.

22) Iliad. I. v. 292. IV. v. 338.

quam heroës deum aut deam in acie habere tutorem tutricemve. Quemadmodum ab Hectoris et Trojanorum partibus stabant Mars et Apollo [23]), Achilli vero et Achivis Minerva ac Juno [24]) opem auxiliumque ferebant; ita prisci etiam Romani reges sibi finxerunt deorum filios, ex eorumque sinu atque amplexu [25]). Etsi vero reges cognatione et consuetudine deorum gavisos esse, togati crediderint, nulla tamen fit omnino mentio majestatis, licet cum Gundlingius [26]) seditiones sub Romulo, Tullo Hostilio, Anco Marcio, et Tarquinio superbo criminibus laesae majestatis adscribendas censuerit, tum Gravina [27]) *majestatis legum (?) praesidio judicioque potestatem reges munivisse suam* nobis scripserit. Alia nimirum inter reges populumque intercessit conditio, quam quae postea sub imperatoribus; reges enim summi tantum fuere judices ducesque in bello, qui senatus patrumque consilio, populique jussu publica gererent negotia. Hinc vituperandum esse Pomponium censeo, qui initio Romanae civitatis populum sine certa lege, sine jure certo primum agere instituisse, omniaque a regibus gubernata esse putat [28]) cum antiquis illis temporibus permiscens suam aetatem, qua quidem summam

---

23) Iliad. IV. v. 439. VII. v. 272.

24) Iliad. VIII. v. 457. V. v. 784.

25) Livius lib. I. cap 4. 16. 19. 40. 41. — Cicero in Catilinam I. cap. 13. — Plinii Panegyric. cap. 1.

26) Loc. cit. cap. 1. §. 2.

27) Loc. cit. pag. 314.

28) L. 2. §. 1. D. de orig. jur. (1. 2.) conf. Hugo

nimirum tyrannidem, maximumque in summarum rerum gubernatione arbitrium viguisse constat. Quamvis Tacitum [29]) suae sententiae defensorem eumque sane gravissimum habere Pomponium non negem.

§. 6.

Quin immo primis rei publicae temporibus ad legem usque duodecim tabularum majestatis crimen nullibi reperitur [30]), quamquam Sigonius [31]) Lucium Brutum in filios majestatis judicium scripserit exercuisse, quos adversus patriam conjurasse, ac de ea regibus prodenda consilia agitasse testatur historia. Melius vero Heineccius [32]), assentiente Balduino [33]), rem tractasse videtur, qui eos perduellionis nuncupat reos, nihil commemorans majestatis crimen. Rudibus namque, bellicosisque populis, quales inveniuntur Romani sub regibus, nihil profecto atrocius, summaque poena magis dignum videbitur rei communis proditione. Hinc apud veteres Germanos pariter atque apud priscos Romanos proditionem gravissimis affectam accepimus poenis, quod apud omnes peraeque populos jure meritoque observatum esse, quam plurimi probant apud veteres loci. Apud Thessalos verbi

---

Rechtsgeschichte §. 43. §. 134. Bachii hist. jur. I. 1. 1. §. 1.

29) Conf. Annalium lib. III. cap. 26.

30) Winter Majestätsverbrechen pag. 30.

31) De judiciis lib. II. cap. 29. pag. 628. — Conf. Gravina loc. cit.

32) Antiq. Rom. lib. 4. tit. 18. §. 47. not. 2.

33) Jurisprud. Rom. et Attica. pag. 1005.

gratia lex viguit, etiam ad perduellis propinquos poenam esse extendendam [34]), eademque Macedonum legibus cauta fuisse, relatum legimus apud Curtium [35]), ita ut Cicero [36]) *crudele*, inquiat, *videtur quod ad liberos hostium* (i. e. perduellium) *poena pervenit: id tamen antiquum et omnium civitatum*; ergo poenarum isthaec extensio juris gentium fuisse videtur [37]). Rhodios in proditione voluntatem ab ipso facto haud distinxisse, Livius nos docet [38]); et Hecaton philosophus [39]) filii esse patrem perduellem adeo accusare demonstrat, his philosophando verbis: „*Quid si tyrannidem occupare, si patriam prodere conabitur pater? silebitne filius? Immo eum obsecrabit, ne id faciat; si nihil proficiet, minabitur etiam. Ad extremum, si ad perniciem patriae res spectabit, patriae salutem anteponet saluti patris.* Quae cum ita sint, Mettus Faffetius, Albanis ex certamine Horatiorum et Curiatiorum Romanorum ditioni submissis, alios cum incitasset populos ad bellum Romanis inferendum, admotis quadrigis proditionis rei membra dilacerata sunt [40]). Huc referendum esse credo exemplum Bruti,

34) Cicero de inventione lib. II. cap. 49.

35) Histor. VI. cap. 8. 11.

36) Ad Brutum epist. 15. ext.

37) Conf. Crellii diss. de calamitate parentum in posteros continuanda. 1721. §. 3—5. — Neumann, diss. de poena parentum perduellium ad liberos perveniente. 1706. §. 3. seq.

38) Lib. XLV cap. 24.

39) Apud Cicer. de officiis lib. III. cap. 23.

40) Livius lib. I. cap. 27. et 28.

filios, necnon cognatos proximos, Vitellios atque Aquilios ultimo supplicio affici jubentis, quos quidem Livius proditores et perduelles vocat, nihil commemorans de majestatis judicio [41]). Quae tamen pertinent omnia ad perduellionis, neutiquam vero ad majestatis judicium [42]), et, nisi me omnia fallunt, satis demonstrant Sigonii, Gundlingii et Gravinae errores, permixtionemque perduellionis cum majestatis crimine. Praeterea multa nobis in historia Romana occurrunt perduellionis exempla, majestatis vero laesae hisce temporibus nulla [43]).

§. 7.

Ad haec usque tempora, ergo centum fere annos post duodecim tabulas nusquam inveni judicium majestatis, licet quidem huc et illuc apud scriptores in enarranda illorum temporum historia majestatis vox tibi occurrat. Appium Claudium v. gr. ita loquentem et gloriantem exaudimus: „*Pulset tum mihi lictorem, qui sciet jus de tergo vitaque sua penes unum illum* (sc. dictatorem) *esse, cujus majestatem violavit.* Sed quis est, qui inde conjecturam facere audeat, priscis illis temporibus crimen majestatis fuisse? non enim Appii

41) Lib. II. cap. 3—5. Conf. Gellii noct. Atticae lib. XVII. cap. 17. 21.

42) Livius II. cap. 41. lib. I. cap. 26. Cicero pro Rabirio cap. 4.

43) Livius lib. II. cap. 41. Dionysius Halicarnass. VIII. cap. 92. Livius III. cap. 11—13. lib. VI. cap. 14 seq. Cicero in Antonium I. cap. 13. Livius lib. XXVI. cap. 3. lib. XLIII. cap. 16.

Claudii illa sunt verba, sed Livii, qui animi alacritate abreptus, eadem tamquam ore pronuntiata a Claudio historiae suae injecit[44]. Neque aliter res sese habet, si Appium Claudium Crassum in hanc fere sententiam locutum esse Livius scripsit: *Neque inficias eo, nos enixe operam dedisse, ut per nos aucta potius, quam imminuta majestas earum gentium, inter quas nos esse voluistis, dici vere possit*[45]. Quae cum ita sint, neque offendere nos debet, Ovidium[46] cecinisse, jam Romulum et Numam coluisse majestatem; Ovidium inquam, qui imperatoriae majestatis splendore sibi obversante, majestatem tanquam deo natam celebrat.

§. 8.

Lex duodecim tabularum jubet, eum, qui hostem concitaverit, quive hosti civem tradiderit, capite puniri[47]. De proditione ergo cautum erat in XII tabulis, unde vero colligi nullatenus potest, de majestatis quoque crimine decemviros quicquam sanxisse. In his vero haud spernenda est Gundlingii[48] sententia, qui laudatum XII tabularum locum e regia jurisprudentia a decemviris translatum esse, sibi persuadet, consentientibus Gravina[49] et van der Ramhorst[50], tametsi hi in

---

44) Lib. II. cap. 29. 30.
45) Livius VI. cap. 40.
46) Fastorum lib. V. v. 47.
47) L. 3. D. ad leg. Jul. maj. (48. 4.).
48) Loc. cit. cap. I. §. 3.
49) De origine juris civilis pag. 314.
50) Diss. cit. cap. 2.

eo forsan haud laudandi mihi videntur, quod ne quidquam dubitant, quin suspicentur, decemviros Romuli legem de proditione in XII tabulas transtulisse. Laudatus XII tabularum locus optime conspirat cum judicio Horatii [51]; antiquissima enim illa Romanae civitatis aetate, tanto civium quisque habebatur honore, ut, qui civem necasset dolo malo, non secus peccasse censeretur, ac si contra ipsam rempublicam exsurrexisset. Hinc in posterum Lex Valeria de provocatione et Portia [52]) latae sunt, ne, qui provocasset ad populum, a magistratibus, donec populus de ea re ivisset in suffragia, capitis damnaretur, aut castigaretur, aut multa puniretur [53]). Perduellionis ergo crimen paullo latius ab antiquis acceptum videtur, ita ut omnia atrociora crimina contra civium libertatem, securitatemque publicam admissa denotaret [54]).

§. 9.

Praeterea Marcianus [55]) in institutionibus adminiculum nobis haud spernendum affert, qui *Lex*, inquit, *duodecim tabularum jubet, eum qui hostem concitaverit, quive*

51) Livius lib. I. cap. 26.

52) Sigonius de jure antiquo civium Romanorum lib. I. cap. 6. pag. 82. Livius X. cap. 9.

53) Heineccii antiq. Rom. append. ad lib. I. cap. 1. §. 27.

54) Heineccius loc. cit. lib. 4. tit. 18. §. 47. not. z. Sigonius de judiciis lib. II. cap. 3. Joannes Clericus ad Livii lib. I. cap. 26. Pitisci Lexicon antiquitatum Romanarum. s. voce: perduellio.

55) L. 3. D. ad leg. Jul. maj.

hosti civem tradiderit, capite puniri. Quibus de perduellione prolatis, eodem Marcianus loco his pergit verbis: *Lex autem Julia majestatis praecipit eum, qui majestatem publicam laeserit, teneri* etc. Nusquam, quemadmodum supra meminimus, in XII tabulis obviam nobis fit significatio: majestatis; quaque ratione locus Marciani citatus summi nobis esse ponderis videtur. Hocce videlicet fragmento Marcianus legem Juliam opponere videtur legi XII tabularum, id quod clarissime apparet ex particula „*autem*"; exinde vero satis abunde colligi fas est, ipsas majestatis leges recentioribus demum temporibus originem traxisse, tametsi legem Juliam aliae quidem majestatis leges, Apuleja, Varia, Cornelia, prima Julia praecesserint [56]). Laudatus pandectarum locus desumtus est ex Marciani institutionibus, Marcianusque, quamvis rem accuratissime neutiquam tractaverit, omittens scilicet reliquas majestatis leges, attamen historica quaedam data in institutionibus pro more Romanorum jureconsultorum, de origine proditionis, criminisque majestatis proposuisse censendus est.

§. 10.

Haec adhuc in medium protulisse haud poenitebit, in antiquis carminibus et formulis perduellionem quidem nobis occurrere, nequaquam vero crimen majestatis, ita ut recte scripserit Heyne, Coriolani temporibus de populi majestate nondum fuisse commemoratio-

56) Bacchii hist. juris lib. II. cap. 2. §§. 63. 68. 73. 90.

nem [57]). Apud Livium [58]) haec relata leguntur: *Duumviri perduellionem judicent. Si a duumviris provocaverit, provocatione certato: si vincent, caput obnubito: infelici arbori reste suspendito. Verberato vel intra pomoerium vel extra pomoerium. Hac lege duumviri creati, qui se absolvere non rebantur ea lege, ne innoxium quidem, posse, quum condemnassent; tum alter ex his, Publi Horati, tibi perduellionem judico, inquit; i Lictor, colliga manus* etc. Livium in tradenda hacce formula exactissimam sane diligentiam adhibuisse, patet ex Cicerone, qui verbotenus propemodum cum Livio conspirat [59]). Antiquis ergo illis rei publicae Romanae temporibus, omisso majestatis crimine sola invenitur perduellio, licet in posterum quidem formulae reperiantur, in quibus majestatis fit mentio [60]); ubi enim pax, inquit Boehmer, vel foedus cum altero populo ineundum erat, praemitti solebat haec clausula: *ut populi Romani majestatem comiter conservaret* [61])! cujusmodi formulae, quamvis in eis majestas populi commemoratur, sub imperatoribus adeo in usu erant [62]). Laudatae ergo formulae sequentibus temporibus esse annumerandae

57) De accusationibus et judiciis publicis, comment. 2. ad judicium Coriolani.

58) Lib. I. cap. 26.

59) Pro Rabirio cap. 4.

60) Livius lib. XXXVIII. cap. 11.

61) Diss. de majestate imperii, magistratuum minorum. 1725. cap. 1. §. 3.

62) L. 7. §. 11. D. de captivis et postliminio (49. 15.).

videntur, neque obstare mihi persuasum compertumque habeo, Ciceronem [63]) scripsisse, apud veteres easdem obtinuisse, nam et illos veteres majoresque eum nominare potuisse, qui post Carthaginem deletam vixerunt, prorsus non dubito [64]).

§. 11.

Ultimo adhuc loco, antequam ad caput secundum progrediar, quid comprehenderint prisci Romani sub voce perduellionis, aliquanto diligentius perstringendum videtur. Perduellio, ~~quemadmodum supra jam commemoravimus~~, versus finem rei publicae liberae cuique Romano tantopere erat odiosa [65]), ut omnia adhibuerint, ad perduellionis judicium de foro ejiciendum. Hinc Cicero [66]): *Quod* (sc. perduellionis judicium) *utinam, Quirites, ego id aut primus aut solus ex hac republica sustulissem! quid enim optari potest, quod ego mallem, quam me in consulatu meo carnificem de foro, crucem de campo sustulisse?* Porro Livius [67]) judicium perduellionis *legem horrendi carminis* vocat, aeque ac Cicero: *Equidem*, scribit filio [68]), *illud etiam animadverto, quod, qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur, lenitate verbi, rei tristitiam mitigatam.* Perduellis verbum eundem minime involvisse sensum, quam τὸ

63) Pro Balbo. cap. 16.

64) Pro Rabirio cap. 3. pro domo sua. cap. 29.

65) Cicero pro Rabirio cap. 3. seq.

66) Cap 3. cit.

67) Lib. I. cap. 26.

68) De officiis lib. I. cap. 12.

hostis, his verbis monet Gajus: *Perduelles veteres appellabant, quos nos hostes appellamus, per eam adjectionem indicantes, cum quibus bellum esset* [69]; eamque ob rem piratam perduellem esse, negat Cicero, quippe cum non populi Romani sit adversarius, sed communis omnium gentium hostis [70]. Cum Cicerone et Gajo consentiens Varro, *perduelles*, ait, *sunt hostes* [71]. Quam quidem annotationem in illustrandis Ennii verbis: *Quin inde invictis sumserant perduellibus* [72] Varro faciens, satis demonstrat, perduellionis voculam non penitus quidem exolevisse, attamen commentario quodam indiguisse. Idem Varro hostem aliud sua aetate ostendere, aliud ante significasse nos docet, *nam tum*, inquit, *eo verbo dicebant peregrinum, qui suis legibus uteretur, nunc autem eum, quem tunc dicebant perduellem* [73]. Huc pertinet notissimus ille duodecim tabularum locus: *adversus hostem* (i. e. peregrinum) *aeterna auctoritas* [74]. Quodsi, quemadmodum non sine veri specie contendunt, veritate nititur, verba isthaec: *hostis* et *hospes* communem habere radicem [75], nullum potest esse du-

---

69) L. 234. D. de verb. significat.

70) De officiis III. cap. 29.

71) De lingua latina lib. 6. apud Gothofredum pag. 53.

72) Ex Ennii incertis tragoediis et comoediis, quae supersunt, cura Hasselii. Amstelodami 1707. pag. 305. vers. 27.

73) De lingua latina lib. 4. apud Gothofredum p. 3.

74) Cicero de officiis lib. I. cap. 12.

75) Hugo Rechtsgeschichte §. 64.

bium, unde evenerit, ut τὸ *hostis* et τὸ *peregrinus* unum eundemque apud veteres Romanos habuerint sensum, et sedulo distinxerint inter hostem i. e. quemcunque noncivem, et inter perduellem. Festus [76]) nobis refert: *Duellum, bellum videlicet, quo duabus partibus de victoria contendentibus, dimicatur* [77]). Qua ergo in definitione omnino cum Gajo, qui perduellem eum esse autumat, *cum quo bellum esset*, consentit. Deinde his Festus pergit verbis: *Inde et perduellis, qui pertinaciter retinet bellum, et ita apud Plautum: Perduelles penetrant se in fugam* [78]). Hinc Sosipater Charisius *antiquis*, ait, *perduellem valde hostem sonare;* et idem alio loco: *per*, inquit, *pro perquam valde, ut perduellio perquamduellio, et plus quam hostis, ut Rabirius, qui perduellionem fecisse dicebatur i. e. contra rem publicam fecisse.* Ubi autem hostis dicebatur perduellis, perduellionis verbum retentum est, ad indicandam quandam illegitimam hostilitatem, quae non habet jus belli [79]).

CA-

76) Sub voce: duellum.

77) Conf. Horatii epist. I. 2. v. 7.

78) Plauti Amphitr. act. I. scena I. vers. 94. Conf. act. II. sc. II. vers. 12.

79) Balduin in jurisprudentia Romana et Attica pag. 995. Livius XXXI. cap. 30.

CAPUT SECUNDUM.

HISTORIA CRIMINIS MAJESTATIS INDE A XII TABULIS USQUE AD LEGEM CORNELIAM MAJESTATIS.

§. 12.

Expulsis regibus nova, ut ita dicam, perfusi Romani sunt vita, tantae virtutis ac strenuitatis exhibentes specimina, ut Carthagine, Gallia, Hispania, Macedonia, Graecia atque Asia minore subactis, ad summum magnitudinis, potestatisque cacumen res publica eveheretur, omnisque fere terrarum orbis Romanorum in ditionem redigeretur. Hinc Cicero: *nulla est natio, quam pertimescemus, nullus rex, qui bellum populo Romano facere possit; omnia sunt externa terra marique pacata* [80]). At nunc cum Livio [81]) exclamare licet: *Res Romana, ab exiguis profecta initiis, eo creverat, ut jam magnitudine laboraret sua!* Nunc enim rem publicam domesticis bellis dilaceratam, factionumque studiis fessam videmus [82]); iisdemque temporibus summo utique honore habitum esse civem Romanum, omnes enarrant scriptores [83]). Nulla in cive capita-

80) In Catilinam II. cap. 5.

81) In praefatione.

82) Cicero de legib. lib. III. cap. 10. In Catilinam II. cap. 8 — 10. Sallustii bellum Catilinar. cap. 2.

83) Cicero pro domo sua cap. 29. 30. Pro Balbo cap. 13. In Catilinam IV. cap. 4. 5. Pro Caecina cap. 34.

lis poena admissa; remota a foro, crux, carnifex et verbera [84]. His, inquam, temporibus post Carthaginem deletam majestatis crimen originem traxisse atque in perduellionis locum substitutum esse contendo.

§. 13.

Pro nostra sententia haec sunt argumenta: Perduellio apud Romanos in tanto erat odio, ut sensim sensimque plures leges ferrentur, ad crudelissimam perduellionis poenam tam coercendam quam in posterum penitus abrogandam, cum istud judicium propter infligendam illam poenam a civium libertate vehementissime abhorreret [85]. Hinc Cicero [86] *quod* (sc. perduellionis judicium) *utinam — ex hac republica sustulissem! — sed ista laus est majorum nostrorum, qui expulsis regibus nullum in libero populo vestigium crudelitatis regiae retinuerunt. — Haec tua* (Labiene): *I Lictor colliga manus, quae non modo hujus libertatis mansuetudinisque non sunt, sed ne Romuli quidem, aut Numae Pompilii: sed Tarquinii crudelissimi atque superbissimi regis* etc. At mihi forsan objiceres, Ciceronem, causam Rabirii defendentem, omnia protulisse, quae insontem Rabirium efficerent, judiciumque perduellionis repellerent. Ex aliis tamen locis sole clarius elucet,

84) Pro Caecina cap. 34. Pro Rabirio cap. 4. Pro domo cap. 30. In Verrem III. cap. 28. 29. V. cap. 62. 63.

85) Livius lib. I. cap. 26. Cicero pro Rabirio cap. 3—5

86) Cap. 3. cit.

quantopere perduellionis Romanos taeduerit. *Facinus est*, inquit Cicero, *vinciri civem; scelus verberari, prope parricidium necari, quid dicam in crucem tolli* [87]; in judicio autem perduellionis reos arbori infelici suspensos esse, quis est qui nesciat [88]? Ad coercendas illas capitis poenas, easque maxime indignas cive Romano lata est lex Porcia (anno urb. 557), quae virgas ab omnium civium tergo amovit [89]. Jam sub regibus provocatio ad populum concessa erat [90], Tarquinius vero Superbus cum regnare occepisset, rerum capitalium cognitiones per se solus exercebat [91]: regibus deinde expulsis ad consules et ad Senatum capitis judicia pertinebant [92]. Qui vero cum plebejos vehementissime premerent [93], pluribus in posterum legibus Valeriis de provocatione repetitis, et redintegratis [94], vetitum est, eum, qui provocasset, caedi seu necari [95].

§. 14.

Quemadmodum Verrem oblitum fuisse legum pro tergo civium latarum Cicero nos do-

87) In Verrem V. cap. 66. De officiis lib. I. cap. 12.

88) Livius I. cap 26. Cicero pro Rabirio cap. 3.

89) Cicero in Verrem V. cap. 62. 63. Pro Rabirio cap. 4. Sallustii bellum Catilinarium cap. 51.

90) Livius lib I. cap. 26.

91) Livius I. cap. 49.

92) Livius II. cap. 5.

93) Grünebusch de perduellione etc. §. 16.

94) Heineccii ant. Rom. append. ad lib. I. § 26. 27.

95) Livius lib. X. cap. 9. Cicero in Verrem V. cap. 62. 63.

cet [96]), ita et Gracchorum temporibus obliti erant legis Porciae. Gellius enim fragmenta orationis, quam C. Sempronius Gracchus habuit, nobis reservavit, cujus verba haec sunt: *Palus destitutus est in foro, eoque adductus suae civitatis nobilissimus homo, M. Marius, vestimenta destructa sunt, virgis caesus est* [97]). Legem ergo Porciam, quam ipsa vetustate exolevisse censet Heineccius [98]) secutae sunt Semproniae leges (anno urbis 631.), ne de capite civium Romanorum injussu populi judicaretur [99]). Quibus omnibus legibus Valeriis, Porcia atque Semproniis cautum erat, ne virgis caederentur cives Romani, relicta illa servis poena [100]). In judicio autem, quemadmodum jam meminimus, perduellionis reos virgis caesos capite obnupto vel arbori infelici suspensos, vel de saxo Tarpejo dejectos esse, testatur et Livius et Cicero [101]). Sequitur ergo lege Sempronia poenam perduellionis, ejusque judicium esse sublatum, cui substitutum esse arbitror crimen majestatis, praesertim cum viginti annorum spatio post legem Semproniam intermisso lata jam sit lex Apuleja de majestate (a. u. 652.) et post duodecim annos secunda lex majestatis, dico legem Variam. Ad quam sententiam his

96) In Verrem II. lib. V. cap. 62. 63.

97) Noct. Atticae lib. X. cap. 3.

98) Ant. Rom. append. lib. I. §. 27.

99) Cicero pro Rabirio cap. 4. In Catilinam IV. cap. 5.

100) Pro Rabirio cap. 5.

101) Livius lib. VI. cap. 20. Cicero pro Rabirio cap. 4.

etiam adductus sum. Anno urbis 616 lex Cassia lata est [102]), ut tabellae etiam in judiciis populi, praeterquam in judicio perduellionis, adhiberentur. Singularia ergo, quae hucusque obtinuerant, in judicio perduellionis reservata sunt, quamquam lata lege Cassia; sed jam anno urbis 646 lata est lex Caelia [103]), ut tabellis quoque in judicio perduellionis uterentur. Ergo anno urbis 646, hoc est medio illo tempore, quo lex Sempronia (a. u. 631) et lex Apuleja (a. u. 652) latae sunt, reliqua etiam judicii perduellionis singularia in desuetudinem abierunt.

§. 15.

Lex Apuleja de imminuta majestate anno 652 rogata est a L. Apulejo Saturnino, tribuno plebis [104]), quod equites Romani exercitum deseruerant [105]). Cimbri enim et Teutoni faustis signis in Italiam venerunt, nec primum eorum impetum Silanus, nec secundum Manlius, nec tertium Caepio sustinere potuerunt, multique ex equitibus Romanis armis amissis Romam confugerunt [106]). Hocce ipso ergo anno lex Apuleja de fugitivis illis, qui olim perduelles fuissent, est lata, eaque prima apud Romanos de majestate [107]).

102) Bachii hist. jur. lib. II. cap. 2. §. 49.

103) Bach. loc. cit. § 60.

104) Bach. l. l. § 63. Cropp de conatu delinquendi lib. III. tit. 1. §. 1. not 6.

105) Cicero de oratore lib. II. cap. 47—49. Florus lib. III. cap. 3.

106) Plinii hist. nat. XXII. cap. 6.

107) Grünebusch de perduellione §. 14. not. s. t.

Neque enim cum Sigonio [108]) aut Rosino [109]) aut Heineccio [110]) facere possum, qui legem quoque Gabiniam huc pertinere arbitrantur, qua lege cautum erat, ut, qui coitiones ullas clandestinas in urbe conflavisse convinceretur, more majorum capitali supplicio multaretur [111]); cum autem de majestate imminuta nihil in ea commemoretur [112]), perperam legibus majestatis annumeratur. Non sine veri specie Gravinam monentem reperio, legem Apulejam magis ad animadvertendum in ejus delicti reos, quam ad jus majestatis constituendum prodiisse [113]); nam cum non tantum Ciceronis temporibus [114]), verum etiam sub imperatoribus [115]) quid sit majestatem minuere seu laedere, in ambiguo inveniatn, multo minus de majestatis jure constituendo in lege Apuleja cautum fuisse videtur. Omnia quippe ea, quae jam pridem ad perduellionis judicium pertinuerant, legibus majestatis latis majestatis crimine complexa sunt. Quapropter laudandum Grünebuschium [116]) existimo, qui formulam: „*majestatem minuere*" post legem demum Apule-

108) De judiciis lib. II. cap. 29.
109) Rom antiq. lib. VIII. cap. 23.
110) Antiq. Rom. lib. IV. tit. 18. §. 47.
111) Porcii Latron. declamatio in Catilinam cap. 19.
112) Grünebusch loc. cit. §. 14. nota.
113) De origine juris civilis pag. 314.
114) Cic. de oratore II. cap. 49. Epist. ad diversos III. 11.
115) Quintiliani instit. orator. lib. VII. cap. 4. prope finem
116) Loc. cit. §. 14. not. w.

jam putat usu fuisse receptam [117]). — Legem Apulejam secuta est Lex Varia de majestate [118]), anno urbis 664 [119]) adversus collegarum intercessionem a Q. Vario Hybrida, tribuno plebis perlata, qua quaeri jubebat, *quorum dolo malo socii ad arma ire coacti essent* [120]). *Italico*, inquit Asconius [121]) *bello exorto* [122]), *cum ob sociis negatam civitatem* [123]) *nobilitas in invidia esset, Q. Varius tribunus plebis legem tulit, ut quereretur de iis, quorum opera, consilioque socii contra populum Romanum arma sumsissent;* eadem igitur fuit imminutae majestatis conditio, quae in lege Apuleja; legem vero Variam de majestate esse latam, disertis Cicero monet verbis [124]). Hinc neque offendere nos debet, Ciceronem scripsisse, Scaurum ex lege Varia proditionis in crimen esse vocatum [125]); cum enim majestatis crimen in perduellionis locum adoptatum arbitremur,

117) Conf. Bouchaud commentaire sur la loi des douze tables pag. 691.

118) Cicero pro C. Cornelio, majestatis reo. Edit. Crenii pag. 140.

119) Bachii hist. jur. lib II. cap. 2. § 68.

120) Valerius Maximus lib. VIII. cap. 6. §. 4. Cicero in Bruto. cap. 89. Tusculan. disputat. lib. II. cap. 24.

121) Ad Ciceronis orat. pro Scauro. Edit. Crenii pag. 172.

122) Orosius lib. V. cap. 18.

123) Cicero in Antonium orat. VIII. cap. 1 — 3.

124) Pro C. Cornelio majest. reo. Edit. Crenii pag. 140.

125) Pro Scauro edit. Crenii pag. 172.

eademque, quae olim ad perduellionem pertinuerunt, amplexum esse, non nimis anxie Ciceronis verbis inhaerendum est, praesertim cum alias apud Ciceronem proditionem, parricidium et quae sunt similia inveniamus [126]), perduellionem vero neglectam, et antiquis temporibus adscriptam habeamus [127]). Quae cum ita sint, Balduinum [128]) vituperandum esse crediderim, qui Lucium Apulejum Saturninum, eundem namque, quem scimus legem Apulejam de majestate tulisse, accusatum perduellionis esse arbitratur, Saturninum inquam, qui ex nostra sententia majestatis reus videtur; nam, licet a sociis suis rex et imperator salutatus fuerit, a senatu hostis, neutiquam vero perduellis judicatus est. Hinc etiam factum senatus consultum, *ut C. Marius et C. Valerius coss. adhiberent tribunos plebis, et praetores, quos eis videretur, operamque darent, ut imperium populi Romani, majestasque conservaretur* [129]).

§. 16.

Laudatae igitur de majestate leges arcte sese applicare videntur ad perduellionem, in cujus locum, ut saepius jam dictum, crimen majestatis successisse conjicio, quod minime tam vehementer, quam perduellionis poe-

126) Epist. ad divers. V. 12, in Catilinam I. cap. 12. Conf Sallustii bellum Catilinar. cap. 51. 52.
127) Pro Rabirio cap. 3 seq. De officiis lib. I. cap. 12.
128) Jurisprudent. Rom. et Attica pag. 1010.
129) Freinshemii epit. Liv. lib. LXIX. cap. 25 seq.

nam [130]) a flagranti Romanorum libertatis studio [131]) mihi persuasum habeo abhorruisse [132]). Est quidem, leges Apulejam et Variam quoque secuta poena capitalis [133]); quae tamen capitis poena pertinet ad solam mortem civilem [134]). Civem Romanum morti tradi, haud passi sunt [135]). Cicero ergo, ne Catilinarios summo supplicio afficiendo civium sibi contraheret invidiam ita allocutus est Quirites: *Si mecum patria loquatur: M. Tulli tune, quem esse hostem comperisti, quem ducem belli futurum vides, quem expectari imperatorem in castris hostium vides, auctorem sceleris, principem conjurationis, eversorem servorum et civium perditorem exire patieris, ut abs te non emissus ex urbe, sed immissus in urbem videatur? nonne hunc in vincla duci, non ad mortem rapi, non summo supplicio multari imperabis? quid tandem impedit te? mosne majorum? an leges, quae de civium Romanorum supplicio rogatae sunt?* [136]) — Capitalis ergo, qua majestatis reus affectus est, poena spectat ad mortem civilem [137]). Quae perduellioni

130) Cicero pro Rabirio cap. 4.

131) Cicero pro domo sua cap. 29. 30.

132) Cicero pro Caecina cap. 34. Pro domo sua loc. cit.

133) Cicero de oratore lib. II. cap. 48.

134) §. 1. J. quib. mod. jus potest. solvitur (1. 12.).

135) Cicero de legibus lib. III. cap. 4. In Verrem III. cap. 28. 29. V. cap. 62. 63.

136) In Catilinam I. cap. 11. 12. Conf. II. cap. 2. IV. cap 4. 5. Pro Rabirio cap. 3—5.

137) Cicero pro domo cap. 30.

olim annumerata erant, eadem nunc crimini majestatis deputata habes. Unde factum est, ut saepissime verba haec: *majestas* et *imperium* tanquam synonyma adhibeantur [138]), et Livius [139]) parum tutam esse majestatem sine viribus scribat. Assentit Cicero [140]) dicens: *Si majestas est amplitudo et dignitas civitatis, is eam minuit, qui exercitum hostibus populi Romani tradidit.* Exercitum enim hostibus tradere nihil aliud est, quam proditionis esse reum, i. e. eidem crimini esse obnoxium, cujus Mettus Faffetius accusatus traditur sub regibus, i. e. esse perduellem. Majestatis ergo imminutae iste erat reus, qui olim perduellis i. e. hostis inventus erat. Quam ob causam omnes illi loci huc sunt referendi, in quibus verba: *per vim majestatem minuere*, et similia nobis occurrunt [141]). Quae Cicero [142]) crimini dat majestatis, eadem olim Manlio perduelli crimini versa erant, qui, quod plebem incitasset ad seditionem, de saxo Tarpejo perduellis dejectus est [143]). Postumium porro Pyrgensem arguebant, *suffragium populi per vim extorsisse, concilium plebis sustulisse, tribunos in ordinem coëgisse, contra populum Romanum aciem introduxisse, locum occupasse, ut tribunum a plebe intercluderet, tribus in suffragium vocari*

138) Exempl. causa, in Cic. or. pro Rabirio cap. 1. 7.
139) Lib. II. cap. 55.
140) De oratore lib. II. cap. 39.
141) Cicero in Antonium I. cap. 9. Pro Rabirio cap. 1. 7. Orat. partit cap. 30.
142) Orat. partit. cap. 30.
143) Livius lib. VI. cap. 18. 20.

prohiberet [144]). Quae omnia si contuleris cum his, quae Tib. Graccho, quae C. Claudio perduellibus vitio versa sunt [145]), olim pertinuisse ad perduellionis judicium tibi persuadebis, postea vero crimini majestatis vindicata esse [146]). Pro nostra deinde sententia, crimen majestatis successisse in locum perduellionis, haec facere videntur, quod scriptores videlicet nullam mentionem habent perduellionis in ejusmodi causis, in quibus perduellionis judicia, si adhuc viguissent, procul omni dubio adhibita fuissent. Ad quae tamen Grünebusch [147]) *esse*, respondet, *exempla in historia Romana, in quibus unum idemque crimen mox perduellionis judicio vindicatum sit, mox sine nomine venerit, et nullam subesse causam, ut haec, quae sine nomine posuerint crimina, majestatis potius, quam perduellionis dicere velimus. Cn. Fulvium verbi causa accusatum esse, quod cum in Apulia male pugnasset et fugae initium ab eo ortum esse diceretur, proditionis eum simularent* [148]); *Sergium contra ac Virginium perduelles non dicere Livium, licet et ipsi apud Vejos male pugnassent* [149]). Sed

144) Livius lib. XXV. cap. 4.

145) Livius lib. XLIII. cap. 16.

146) L. 1. §. 1. D. ad leg. Jul. majest. (48. 4.). Autor ad Herennium lib. II. cap. 12. Cicero de inventione lib. II. cap. 17. In Verrem IV. cap. 41. V. cap. 19. 20. In Pisonem cap. 21. Pro Cluentio cap. 35.

147) Diss. cit. §. 15.

148) Livius lib. XXVI. cap. 3.

149) Livius lib. V. cap. 2.

haec ad perduellionem pertinuisse, etiamsi lubentissimo prorsus animo concesserim, tamen non sunt contra meam sententiam, cum pertineant ad tempora illa, quae ante Carthaginem deletam fuerunt, ego vero prae me feram, post Carthaginis demum excidium ruinamque invaluisse crimen majestatis, praesertim cum post Gracchum, qui ne injussu populi de capite civium judicaretur, legem tulit, perduellionis judicium exolevisse Cicero nos doceat [150]). Sed ab his, quae antea fuerunt, ad posteriora tempora nullam valere consequentiam, supra dictum est, id quod his luculentius etiam apparebit. Diximus namque, legem Variam anno urbis 664 esse latam, eodem igitur anno, quo *innumerabiles*, inquit Cicero [151]), *leges de jure civili latae sunt; quos Latini voluerint, adsciverunt, ipsa denique Julia, qua lege civitas est sociis et Latinis data, qui fundi facti essent.* Eodem videlicet anno, ut supra scriptum, finitum est Marsicum bellum, breve quidem, ast crudelissimum, *cui*, inquit Asconius [152]), *praesertim maximam causam praebuit Lex Licinia Mucia. Legem vero Liciniam et Muciam de civibus regundis*, ait Cicero [153]), *video constare inter omnes non modo inutilem sed perniciosissimam rei publicae fuisse*, nempe propterea quod belli Italici occasionem praebuerat. *Frequentes tum etiam coetus factioso-*

---

150) Pro Rabirio cap. 3 seq.
151) Pro Balbo cap. 8.
152) Ad orat. pro C. Cornelio. edit. Crenii p. 131.
153) Pro C. Cornelio ibid. pag. 131. Pro Balbo. cap. 21.

rum hominum, inquit Asconius [154]), *sine publica auctoritate fiebant: propter quod postea collegia senatusconsultis et pluribus legibus sunt sublata praeter pauca atque certa, quae utilitas civitatis desiderasset, ut fabrorum lictorumque.* In maximis angustiis tunc temporis civitas versabatur, ita ut senatus decerneret, ne judicia, dum tumultus Italicus esset, exercerentur. Quae cum ita fuerint, disertis verbis nos docet Asconius [155]), multos Varia lege esse majestatis damnatos, qui quidem olim perduellionis rei fuissent [156]).

§. 17.

At mihi fortasse quis objiceret: Ciceronis adhuc temporibus perduellionis judicium in usu fuisse, ex eo patere, quod Rabirius perduellionis accusatus sit. Gundlingius [157]) nomen putat majestatis placuisse veteribus ad significanda promiscue hujuscemodi crimina; nec officere, ipsum Ciceronem ita distinxisse, orationes habendo pro Rabirio *perduelle* et C. Cornelio *majestatis reo*. Pro Gundlingio Cicero quidem facere videtur, inquiens: *Jus omne retinendae majestatis Rabirii causa continebatur* [158]); praesertim cum tam Rabirius quam Cornelius peccasset in tribunum plebis [159]); sed ita fortassis res sese habere

154) Ad orat. pro C. Cornel. edit. Crenii pag. 137.
155) Ad orat. pro Cornelio loc. cit. pag. 135. 136.
156) Conf. Flori epitome lib. III. cap. 14 seq.
157) Singularia ad leg. majest. cap. 1. §. 23.
158) Orator cap. 29.
159) Schütz in Summario ad orat. pro Rabirio. Conf. Suetonii Caesar cap. 12. Asconius in ar-

videtur. Quamvis nonnulla tantum fragmenta orationis pro C. Cornelio majestatis reo supersint, ex his tamen non sequi videtur, Ciceronem ipsum majestatis judicium vituperandum censuisse, pariter atque nulla sunt ejusmodi vituperationis vestigia tam in notis ab Asconio adjectis, quam in argumento praemisso; neque ab eo commemoratur, Romanos, et inprimis Ciceronem invectum esse in duos Caminios fratres, quod majestatis Cornelium postulassent. Quodsi vero oculos converteris ad judicium perduellionis, quam acerbissimis utitur Cicero verbis [160])! Crux, verbera, carnifex in tanto erant apud Romanos odio, ut Cicero *carnificinam* appellet accusatoris crudelitatem, qui judices, ut severi essent, cohortatus erat [161]). Rectissime ergo Pitiscus [162]) Labienum contendit reduxisse judicium perduellionis, quod Cicero jam a majoribus sublatum celebrat [163]). Cum ergo Labienus Rabirio perduellionem intenderet, inauditum fuit, et fere novum crimen. Negari quidem nequit, legem esse nullam, qua perduellionem plane sublatam esse demonstrare possimus, sed usu et moribus ita exolevit, ut verbi gratia Cn. Fulvius a. u. 541, cui ob exercitum in Apulia amissum dies dicta erat, non in veterem perduellionis incurreret poenam,

---

gumento orat. pro C. Cornelio. Conf. Quintiliani instit orat. lib. X. cap. 5.

160) Pro Rabirio cap. 3—5. Conf. Livius lib. I. cap. 26.

161) Orat. pro Sextio cap. 65.

162) Lexicon antiquitatum Rom. s. voce majestas.

163) Pro Rabirio cap. 3. 4.

sed Tarquinios exsulatum abiret [164]). Hinc factum esse putarim, ut perduellionis verbo aegre tantummodo uterentur Romani scriptores, ut verbi causa in omnibus in Catilinam orationibus perduellionem me reperisse haud meminerim, sed Catilinarios aut hostes, aut latrones, aut conjuratos, aut parricidas vocatos tantum invenerim [165]). Pari ratione Florus [166]) bellum istud inter Marium et Syllam non *perduelle* vocat, sed *parricidiale*, aeque ac in tota Ciceronis pro Sextio oratione perduellionis vox, licet in Catilinarios acerbissime invehatur, obviam facta mihi non est, nisi forte *τὸ tyrannus* [167]) premere velis, quod quidem recentioribus temporibus idem quod perduellionis verbum significasse [168]), Ciceronis vero temporibus eundem habuisse videtur sensum ac verba: *hostis*, *sceleratus* etc. Antonii sodales *natura cives esse*, *voluntate vero hostes*; eumque, *qui rei publicae hostis sit*, *civem esse non posse*, inquit Cicero [169]). Sed jam quaero, quis neget, in ipsis hisce verbis

164) Livius lib XXVI. cap. 2. 3.

165) Conf. Sallustii bellum Catilinar. cap. 51. 52. Cicero in Antonium VIII. cap. 3. Ad Brutum XI: epist. 7.

166) Epit. lib. III. cap 21. 23.

167) Pro Sextio cap. 51.

168) Capitolinus in Antonio Pio cap. 7. Vulcatius Gallicanus in Avidio Cassio cap. 8. 12. Conf. L. ult. D. ad leg. Jul. majest. (48. 4.) L. ult. C. de bonis proscript. (9. 49). Theophilus lib. IV. Tit. 18. §. 3.

169) In Antonium VIII. cap. 4. In Catilinam IV. cap. 5.

carcere suffocari jussisset [177]), Clodius Ciceronem accusare in animo habebat. Clodio deinde occiso Milonis causam agens Cicero occasionem in Clodium invidiam excitandi nactus hunc contendit eo progressurum fuisse, ut sibi, Ciceroni, quin perduellionem intenderet, non dubitaturus fuisset. Perduellionis ergo voce eo animo usus est, ut vehementissime vituperando interfectum, [quem et tyrannum vocat] malum esse civem aliis persuaderet [178]), talique ratione reliquorum animos Miloni reconciliaret.

CAPUT TERTIUM.

LEX CORNELIA MAJESTATIS.

§. 18.

Lex Cornelia majestatis anno urbis 673 lata est a L. Cornelio Sylla dictatore [179]). Non desunt quidem, qui incertum istius legis auctorem esse sibi persuadeant [180]), sed melior Cujacio [181]) resedit sententia; multi quippe

177) Sallust. loc. cit. cap. 55. Eutrop lib. IV. cap. 27.

178) Pro Milone cap. 13. Pro Rabirio cap. 4.

179) Bachii hist. jur. lib. II. cap. 2. §. 72. 73. Conf. Bouchaud. commentaire tom. II. pag. 226. 227.

180) Verbi gratia Antonius Augustinus de legibus et senatusconsultis. Parisiis 1584. pag. 57.

181) Ad Pauli sententias lib. V. tit. 29.

Cicero in Verrem II. lib. I. cap. 5.

Meditetur (Verres) de ducibus hostium, quos accepta pecunia liberavit: videat, quid de illis respondeat, quos in eorum locum subditos domi suae reservavit. Quaerat non solum, quemadmodum nostri crimini, verumetiam quo pacto suae confessioni possit mederi. Meminerit, se priore actione clamore populi Romani infesto atque inimico excitatum, confessum esse, duces a se praedonum non esse securi percussos: se jam tum esse veritum, ne sibi crimini daretur, eos ab se pecunia liberatos. Fateatur, se privatum hominem praedonum duces vivos atque incolumes domi suae, postquam Romam redierit, usque dum per me licuerit, tenuisse.

Cicero pro Cluentio cap. 35.

Adde majestatis — At est hoc illi (Balbo) crimen objectum. Fateor: sed etiam legionem ab eo esse sollicitatam in Illyrico, C. Cosconii literis — planum factum est: quod crimen erat proprium illius quaestionis, et quae res lege majestatis tenebatur.

Asconii argumentum ad Ciceronis orationem pro C. Cornelio [188]).

Sequenti deinde anno — reum C. Cornelium duo fratres Cominii *lege Cornelia de majestate* fecerunt. — Dixerunt in eum infesti testimonia principes civitatis: — volebant videri, se judicare, eam rem magnopere ad crimen

188) Edit. Crenii pag. 123. 124.

imminutae majestatis tribunitiae pertinere; etenim prope tollebatur intercessio, si id tribunis permitteretur.

Cicero in Verrem II. lib. I. cap. 33.

Cur imminuisti jus legationis? cur causam populi Romani deseruisti? ac prodidisti? cur injurias tuas, conjunctas cum publicis, reliquisti?

Asconius ad hunc locum.

Qui potestatem suam in administrando non defenderit, imminuti magistratus, veluti *laesae majestatis* reus erat. —

§. 12.

Ex quibus locis Sigonius [189]) legem Corneliam majestatis ita restituit:

Praetor, qui ex hac lege quaeret, de eo quaerito, qui intercessionem sustulerit, aut magistratui, quo minus munere suo fungatur, impedimento fuerit, qui exercitum ex provincia duxerit, aut sua sponte bellum gesserit. Qui exercitum sollicitaverit, qui ducibus hostium captis ignoverit, qui potestatem suam in administrando non defenderit. Qui civis Romanus apud regem externum versatus fuerit. — Mulieris testimonium accipiatur. Calumniatoribus nulla sit poena. His damnatis aquae et ignis interdictio sit [190]).

189) De judiciis lib. II. cap. 29. pag. 630. 631.
190) L. 8. D. ad leg. Jul. majest. Cic. ad fam. III. 11.

Hancce tamen legis restitutionem Sigonianam passim vituperatam invenio. Heineccius [191]) se vereri scripsit, ut omnia viderit legis capita Sigonius, quem tamen ad verbum secutus, et adstipulans Gundlingio [192]) nihil praeter hoc adjecit: addi debuisse, etiam servorum testimonia e lege Cornelia accepta fuisse [193]). Quae vero de servorum testimoniis adjecta sunt, non sic intelligenda mihi videntur, quasi Sylla primus eos admiserit testes, cum jam pridem in judicio Juniorum Vitelliorumque servorum audiretur testimonium [194]). *Sigonium finxisse solennia legis verba, inque multis tum alios decepisse, tum se ipsum*, sibi persuadet Gundlingius [195]). Sed haec nimis aspera est et dura sententia, cum nihil commiserit praeterquam quod ex solis verbis, apud Ciceronem et Asconium occurrentibus, restituit legis verba, et solennia praefixit haec verba: *Praetor, qui ex hac lege quaeret, de eo quaerito, qui* etc. Praetera neque video, quomodo evenerit, ut alios et se ipsum decepisset, neque Heineccium reprehendendum arbitror, qui, quamvis post Gundlingium scripserit, nihilo secius tamen, immemor vituperationis Gundlingianae, totam Sigonii restitutionem in antiquitates Romanas receperit [196]).

191) Antiquit. Rom. lib. IV. tit. 18. §. 48.

192) Singularia ad leg. Jul. majest. cap. 1. §. 13.

193) Antiq. Rom. loc. laud. not. b.

194) Livius lib. II. cap. 4. 5. Conf. L. 7. D. ad leg. Jul. majest.

195) Singularia ad leg. Jul. cap. 1. §. 14. not. *.

196) Lege Cornelia sanctum fuisse, ne ulla digni-

§. 20.

Illud extra omnem dubitationem est positum, primum Syllam fuisse, qui prioribus majestatis legibus perfectiorem tulerit legem. — Quodsi illa, quae a Sigonio collata habes, sedulo tecum perpenderis, inficias ire neutiquam poteris, Syllam crimen majestatis imprimis ad ea extendisse, quae olim ad perduellionem spectavisse demonstravimus [197]. Quae cum ita sint, legem Corneliam de illis ipsis tantum statuisse Peckius putat [198]; sed et illa, quae contra majestatem, tanquam summum civitatis honorem i. e. dignitatem splendoremque et gloriam perpetrarentur, sub crimine majestatis a Sylla sunt comprehensa. Huc sane pertinet locus ille, quo Cicero [199], Gabinium, Syriae proconsulem majestatis in crimen vocans, *Gabinius*, inquit, *se ipsum, fasces suos, exercitum populi Romani, numen interdictumque deorum immortalium, responsa sacerdotum, auctoritatem senatus, populi jussa ac dignitatem imperii vendidit.* Haec verba, quasi haud pertinentia ad legem Corneliam majestatis, Sigonius typis exprimi haud curavit, quamvis ex illis, quae mox apud Ciceronem sequuntur, quaeque pertinere ad legem Corneliam bene statuit ipse Sigonius, verbi gratia „*si quis exercitum sollicitaverit, aut se mercenarium comitem extraneo regi*

tas tormentis eximeretur, testis est Ammianus Marcellinus lib. XXIX. cap. 12.

197) Livius lib. I. cap. 27. 28. lib. XXVI. cap. 2. 3. lib. XLIII. cap. 6. lib. XLV. cap. 16.

198) Dissert. de crimine laesae majest. 1710. §. 1.

199) In Pisonem cap. 21.

tribuerit " etc.; quamvis ex his, inquam, etiam illa, quae modo ex Cicerone exscripsimus, pertinere ad legem Corneliam majestatis, prorsus sequi videtur, praesertim cum loco isto a nobis in medium prolato, inter reliqua etiam exercitum populi Romani regi Alexandrino venisse, Gabinio objiciatur. Neque praeterea obliviscare, quaeso, laudatum a me locum subsequi statim eum, quem pro sua sententia facientem jure meritoque attulisse Sigonius mihi visus est. Quodsi Gabinium numen interdictumque deorum, responsaque sacerdotum vendidisse memineris, contra deorum majestatem [200]) eum egisse minime dubitabis; neque inficias ibis, Gabinium, quod auctoritatem senatus, jussaque populi ac dignitatem imperii vendidisse convictus a Cicerone reperiatur, legis Corneliae de majestate reum factum esse. Quam meam sententiam nulli dubitationi obnoxiam crediderim, recordans, C. Cornelium majestatis reum esse postulatum ex lege Syllana, quod intercedenti collegae haud obtemperans ipse codicem recitasset [201]). Qui vero auctoritatem senatus, jussa populi, ac dignitatem imperii vendidisse damnatus erat, is profecto contra majestatem, tanquam summam civitatis honorem gloriamque peccasse censendus fuit [202]). Praeterea Cicero Gabinium accu-

200) Cicero de divinatione lib. I. cap. 28. De natura deorum lib. II. cap. 30.

201) Ascon. Pedian. in argumento ad Ciceronis orationem pro C. Cornelio majest. reo.

202) Autor ad Herennium lib. II. cap. 49. De inventione lib. II. cap. 18.

sat, quoniam se ipsum fascesque suos vendidisset, Gabinium inquam, qui proconsul Syriae, atque ita majestate imbutus [203]), tali, ut dictum est, ratione delinquendo in majestatem consulis ejusque fasces tanquam indices atque insignia consularia [204]) peccaverat, idcircoque a Cicerone majestatis accusatus erat. Idque bene et jure factum esse a Cicerone tibi persuadebis, recordanti, eum, qui potestatem suam in administrando non defendisset, majestatis reum fuisse [205]).

§. 21.

Plures invenio scriptores [206]), qui legem Corneliam de majestate in plura fuisse divisam capita statuant, licet prorsus nullum apud veteres locum laudent, in quo istiusmodi quid commemoratum reperiissent. Esse fortassis potest, legem Juliam majestatis, quam ex pluribus capitibus fuisse compositam scimus [207]), ad analogiam legis Corneliae esse constructam; sed desunt loci. — Tametsi certum maneat, legem Corneliam etiam ad ea pertinuisse, quae contra summum civitatis Romanae honorem perpetrarentur [208]),

203) Cicero de oratore lib II. cap. 49. In Pisonem cap. 11. ad familiares lib. XV. epist. 5.

204) Flori epitome lib. I. cap. 5. Vaterius Maximus lib. I. cap. 1. §. 3.

205) Cicero in Verrem II. lib. I. cap. 33. Asconius ad hunc locum.

206) Gravina de origine juris pag. 314. Bosse über Hochverrath p. 54.

207) L. 2. D. ad leg. Jul. majest.

208) Praeter locas jam laudatos. Conf. Cicero de

negari tamen nequit, in lege concipienda Syllam praecipue ad ea respexisse, quae olim ad perduellionis judicium pertinuisse commemoravimus; qua propter sunt, qui eum idcirco duntaxat legis Corneliae auctorem fuisse arbitrentur, ut semet ipsum tueretur. Syllam nonnulla pro lubitu et arbitrio assumsisse in legem, de qua agitur, majestatis, inficias quidem ire non possumus; nam Appio Pulchro, de majestatis absolutione literis missis nihil interesse inter crimen ambitus et majestatis sibi persuadenti, Cicero [209]) rescripsit: *Verumtamen est majestas (ut Sylla voluit), ne in quemvis impune declamare liceret!* verbaque illa, „*ut Sylla voluit*" eo animo adjecta a Tullio videntur, ut Syllae arbitrium exprimeret. Sed sedulo perpendenti tibi, in ambiguo fuisse, quid sit „*majestatem minuere*" [210]), tantopere neutiquam peccasse censendus est Sylla, quam si, quid sit majestatem minuere, sine omni dubio fuisset; quin imo Syllam, qui constituerit, quid pertineat ad crimen majestatis, laudandum potius, quam vituperandum crediderim, praesertim cum, quod Gravina monet [211]), legem tulerit *veteribus capitibus suscitandis et novis instituendis.* Mulierum servorumque testimonia eum accepisse [212]), et his praeter libertatem praemia

invent. lib. II. cap. 17. In Verr. II. lib. IV. cap. 41. In Anton. or. III. cap. 5. Ad fam. lib. XII. ep. 15.

209) Ad famil. lib. III. ep. 11.

210) Cicero de oratore lib. II. cap. 25. 49. De inventione lib. II. cap. 17.

211) De orig. jur. pag. 314.

212) L. 8. D. ad leg. Jul. majest.

etiam promisisse [213]), vitio Syllae verti nequit; quippe quod nihil est novi [214]). Quod vero ad foeminarum attinet testimonia, quibus ne populares quidem actiones dantur [215]), in majestatis sane judicio propter sceleris atrocitatem [216]) jure meritoque exceptio locum sibi vindicasse videtur.

§. 22.

Quae cum ita sint, confiteor, me ei sententiae non esse adscriptum, cui nonnullos scriptores [217]) addictos inveni, Syllam scilicet imperatoribus lege majestatis lata viam aperuisse ad tyrannidem. Quaecumque in lege restituta protulit Sigonius, nihil continent novi et inusitati. Summarum rerum gubernatione accepta, quaslibet injurias sibi inflictas et contumelias tanquam crimina majestatis Syllam spectasse, ait Winterus, novumque crimen procreasse, omnibus pristinae perduellionis generibus eidem annumeratis. Sed cum supra jam demonstratum sit, legem Corneliam ad ea tantummodo pertinuisse, quae jam dudum pro gravissimis criminibus habebantur, Winterus permiscuisse mihi visus est legem ipsam cum ejus falsa applicatione. Nam negari nequit, Syllam cum summa crudelitate saeviisse in eos, qui a Marii partibus

213) Sallustii bellum Catalinarium cap. 30.

214) Livius lib. II. cap. 4. 5.

215) L. 6. D. de popularib. actionib.

216) L. 5. C. ad leg. Jul. majest.

217) Winter Majestätsverbrechen pag. 36. Bosse Hochverrath pag. 54.

starent [218]). Compertum contra, persuasumque mihi habeo, Romanos, etiamsi lex Cornelia lata non fuisset, nihilosecius eos, qui aut exercitum deseruisse, aut sua sponte bellum gessisse, aut exercitum sollicitasse convicti fuissent, reos majestatis habituros fuisse, atque legitima sane poena affecturos, praesertim cum leges tribunitias Apulejam Variamque jam antea ejusmodi quid statuisse constet. Legem Corneliam civitati summopere salutarem et utilissimam fuisse, ex ipsis Ciceronis verbis colligi fas est. Legem namque Caesaris Juliam de vi ac de majestate, quae nihil fere Corneliae derogavit, ita ut translatitiam eam ex lege Cornelia nuncupare Perezius [219]) non dubitet, contra Antonium servandam esse Cicero his contendit verbis: *Quid est aliud adhortari adolescentes, ut turbulenti, ut seditiosi, ut perniciosi cives velint esse? Quam autem ad rei publicae pestem furor tribunitius impelli non poterit, his duabus quaestionibus de vi et de majestate sublatis* [220])? Rectissime hercule Gravina [221]): *Etsi lex Cornelia*, inquit, *perturbatis illis temporibus convenisset, sequentibus tamen temporibus in maximam hominum perniciem prorupit* [222]). Inter bonas et malas Syllae leges distinguendum esse censet Gundlin-

218) Sallustii Catilinarium bellum cap. 51. Florus lib. III. cap. 21.

219) Comment. ad Cod. lib. IX. tit. 8.

220) Cicero in Antonium orat. I. cap. 9.

221) De orig. jur. pag. 314.

222) Plinii panegyric. cap. 42. Sueton in Tiberio cap. 61.

gius [223]), bonis legibus annumerans legem Corneliam de majestate, *nam*, inquit, *saluberrima lex erat Cornelia majestatis, alioquin res publica stare haud potuisset. Corruptissimus enim erat civitatis status, neque patricii neque plebeji intra officium amplius et mediocritatem se continuerunt; hinc bellorum civilium nullus finis, hinc Mario et Cinna, illinc Sylla Valerioque motus agitantibus.* — Licet lex Cornelia recentioribus temporibus raro tantum nominetur, quippe aliis de majestate postea legibus latis, nihilosecius apud Ammianum adhuc Marcellinum laudatur [224]).

CAPUT QUARTUM.

CAESARIS LEX JULIA DE VI AC DE MAJESTATE.

§. 23.

Post legem Corneliam lege Julia de vi ac de majestate, a Caesare [225]) lata, cautum est, ut de vi et de majestate damnatis aqua et igni interdiceretur, neque provocatio esset ad populum [226]). De qua Caesaris lege falsam habere sententiam Sigonius [227]) mihi visus

223) Singularia ad leg. Jul. majest. cap. 1. §. 10. 11.
224) Res gestae lib. XIX. cap. 12.
225) Bachii hist. jur. lib. II. cap. 2. §. 90.
226) Cicero in Antonium orat. I. cap. 9.
227) De judiciis lib. II. cap. 29. pag. 633.

est, autumans, Caesarem provocationem ad populum non cohibuisse. *Nam*, inquit, *cum Antonius consul post mortem Caesaris legem promulgasset, ut de vi et de majestate damnatis ad populum provocatio non esset, dixit Cicero, legibus Caesaris obrogari, qui tulerat, ut de vi ac de majestate damnatis aqua et igni interdiceretur.* Contra Sigonium vero haec, quae moneam, habeo. Cicero reprehendendas sibi sumens Antonii leges, capite laudato ad eam pervenit Antonii legem, qua contra Caesarem cautum, ut de vi ac de majestate damnati, si vellent, ad populum provocarent; atque haec pertinere ad Antonii leges, ex eis patet, quae mox apud Ciceronem sequuntur: *Haec*, inquit, *utrum tandem lex est, an legum omnium dissolutio?* Quae nimirum verba si de Caesaris lege fecisset, Antonii causam, non Caesaris egisset. *Antonii legibus*, ait, *obrogatur Caesaris legibus, quibus* (sc. Antonii legibus) *cum provocatio datur, nonne acta Caesaris rescinduntur?* Hanc saltem interpretationem reperies apud Balduinum [228]), Croppium [229]) et apud alios [230]).

§. 24.

Ciceronem crucem de foro, Caesarem vero supplicium in majestatis judicio sustu-

228) Jurisprud. Rom. et Attic. pag. 1005.

229) De praeceptis juris Romani circa puniendum conatum delinquendi. Heidelb. 1813. lib. III. tit. I. §. 1. not. 9.

230) Van der Ghiefsen diss. ad leg. Jul. majest. cap. 2. Ext. Winter Majestätsverbrechen p. 38. not. 4.

lisse, et aquae ignisque interdictionem substituisse, sibi persuasum habet Gundlingius [231]), provocans ad Caesaris apud Sallustium orationem [232]) qui *neque prius*, ait, *finis jugulandi fuit, quam Sylla omnes suos divitiis explevit. Atque haec neque in M. Tullio, neque his temporibus vereor. — Graeciae morem imitati* (sc. majores), *verberibus animadvertebant in cives, de condemnatis summum supplicium tenebant. Tum lex Porcia aliaeque paratae, quibus legibus exilium damnatis permissum.* Sed jam ante Syllae tempora capitale judicium, prout ex illo ipso loco laudato apparet, legibus antiquatum, usu etiam et moribus exolevisse, supra demonstravi, et in sententia mea resideo, quaecunque Gundlingius opponat [233]); Syllam quidem maxima in cives saeviisse crudelitate, non sum, qui negem; sed et Caesar, qui legem de vi et de majestate tulerat, ut aquae et ignis interdictio infligeretur, in laudata apud Sallustium oratione: *quam ob rem*, inquit, *in sententiam non addidisti, ut prius verberibus in eos animadverteretur? an quia lex Porcia vetat? quid autem acerbum, aut grave nimis in homines tanti facinoris convictos? at quis reprehendet, quod in parricidas rei publicae decretum erit?* [234]).

§. 25.

231) Singularia ad leg. Jul. majest. cap. 1. §. 19.

232) Sallust. bell. Catil. cap. 51.

233) Conf. Joh. van Beuker de crimine majest. sect. V. cap. 1. §. 6.

234) Conf. Cicero in Catilinam I. cap. 11. 12. II. cap. 2. IV. cap. 4. 5.

§. 25.

Ultimo adhuc loco esse adjicienda putavi haec, quamvis ea jam ex prolatis sequi videntur. Ex sola nempe liberorum Romanorum superbia originem duxisse majestatem, insignemque ab initio atque praestantissimum statim exstitisse honorem, quo gavisa sit res publica Romanorum, Winterus autumat [235]; ad quod demonstrandum plures ex Ciceronis scriptis affert locos [236]). Deinceps vero cum morum corruptelae immigrassent, etiam crimen majestatis putat sensu latiori acceptum esse, superbosque Romanos, gaudentes et exsultantes populi majestate, mox quoque quamlibet summi imperii laesionem pro criminibus majestatis habuisse. Tum seditiosos plebis tribunos auctores esse factos legum majestatis, talique ratione accidisse, ut perduellio atque majestas imminuta in unum coaluerint crimen, et ut unum idemque fuerit, summum rei publicae honorem, splendoremque ac gloriam i. e. majestatem minuere; atque hostili in civitatem animo esse animatum. Ciceronem ergo castigandum esse, quod ab eo majestatem minui censuerit, qui exercitum populi Romani hostibus tradidisset [237]). Nos vero quin viam Winteri rationi prorsus contrariam ingrediamur haud dubitamus. Romani videlicet summo taedio perduellionis capti, ipsam perduellionem a foro

235) Majestätsverbrechen pag. 32.

236) De oratore lib. II. cap. 39. Ad Herennium lib. II cap. 12.

237) De oratore lib. II. cap. 39.

detrudendam rebantur [238]), unde colligi fas est, post annum 631, quo lex Sempronia lata est, atrocissimam illam priscorum temporum poenam [239]) esse extinctam. Quamvis enim lex Porcia jam anno urbis 557 lata esset pro tergo civium, procul omni tamen dubio postea nihilosecius, ut supra jam dictum, aspera illa perduellionis poena obtinuisse mihi videtur [240]), donec tandem anno urbis 631 lege Sempronia lata penitus sublatam est. Enimvero causa cur lege Porcia lata judicium perduellionis nihilosecius tamen manserit, in eo latere mihi visa est, quod, ut dixi, novum nondum crimen in perduellionis locum substitutum erat; at lege Sempronia lata, fuisse jam majestatis crimen propterea putarim, quod legem Apulejam majestatis crimen supposuisse extra omnem videtur esse dubitationem. Primis ergo temporibus judicium majestatis eadem persuasum habeo amplexum esse, quae olim ad perduellionem pertinuerant, deinde vero, cum prope finem rei publicae dignitate, splendore atque amplitudine civitatis superbirent, Ciceroque verbi gratia exclamaret: *o nomen nostri imperii! o populi Romani excellens dignitas* [241])! etiam ad quamcumque populi summi honoris laesionem seu imminutionem esse relatam, ita ut Cicero Verrem majestatis accusaverit, quod injuriam non persecutus esset, sibi, qua ma-

238) Livius lib. I. cap. 26. Cicero pro Rabirio cap. 4.

239) Livius lib. II. cap. 41. Lib. VI. cap. 20.

240) Heineccii ant. Rom. append. I. cap. 1. §. 27.

241) Pro Balbo cap. 5.

gistratui, inlatam [242]). Praeterea illi, quos pro sua affert sententia loci, quod ad tempora ante Ciceronem attinet, nihil probant; Cicero enim de majestatis crimine loquitur, quale suis invenitur temporibus, unde ergo consequentia valet nulla ad ea tempora, quibus natum est majestatis crimen; pariter atque exinde colligi nequit, majestatem ab initio statim pertinuisse ad solam dignitatem splendoremque [243]).

242) In Verrem II. lib. I. cap. 33. Asconius ad hunc locum.
243) Itterus ad Brissonium sub voc. majestas.

Ad §. 2.

Hinc colligi fas est, tempus aliquod jam praeterlapsum esse, antequam majestas, majestatisque crimen oriri potuerit, praesertim si tecum perpenderis, ipsam majestatem sine magnitudine quadam, amplitudine atque imperii Romani splendore oriri non potuisse.
